

- 1 Prima igitur ac demonstrativa virtutis numerorum experientia est tres Planetas superiores Soli per coniunctas numero revolutiones singularibus æquari.
- 2 Secunda virtus est amicabilium numerorum, his sunt quorum partes vnu numerantes mutuo alterum aggregant, tales sunt 220. 284. nam numeri 220. numerantes simul iuncti faciunt 284. & numeri 284. numerantes producunt 220. talibus autem ad amatoria homines vtuntur, verum cum sub aliquo numero omne creatum constet, arbitrandum est quæ taliter conuenerint mutuo se diligere.
- 3 Sunt & numeri perfecti quibus nihil mundanis rebus conuenientius est, tales autem sunt qui constant aggregatione omnium suorum numeratorum veluti 6. numeratur à 3. 2. 1. qui iuncti faciunt 6. Et similiter 28. aggregatur ex suis numeratoribus 14. 7. 4. 2. 1. nam iuncti faciunt 28. Gignuntur autem hi vt Euclides docet cum numeri ex proportione dupla ab unitate iuncti numerum primum efficerint: tunc maximus in aggregatum producit numerum principem atque perfectum: veluti 1. 2. 4. 8. 16. aggregat 31. qui est numerus primus, igitur 16. ductus in 31. producit 496. numerum perfectum, hic semper vel in 6. vel in 8. terminatur: ordinem autem conditionis humanae immutat, nam in singulis denariis inuenitur vnde 6. est in primo denario solus profectus, duc 10. in 10. fit 100. à 10. ad 100. solus 28. est perfectus, duc 10. in 100. fit 1000. à 100. ad 1000. solus 496. est perfectus, duc 10. in 1000. fit 10000. à 1000. ad 10000. solus 8128. perfectus est, ita quanto magis ab unitate quæ Deum ostendit elongatur, eo rariores perfecti inueniuntur, in vnoquoque tamen genere vnu tantum perfectus inuenitur: hoc igitur in numero speculum mortalium rerum est fabricatum: vnde in eo maxima licet contemplari: huic autem diminuti in suo ordine quemadmodum & inopes, ac superabundantes opponuntur, diuitum specie, aut vt in complectione & compositione pleni ac pingues, dicuntur numerus diminutus cuius partes numerantes non aggregant numerum illum: veluti 10. numeratur à 5. 2. 1. qui tantum aggregant iuncti 8. oppositus autem abundans qui superexcedit: veluti 12. numeratur à 6. 4. 3. 2. 1. quorum aggregatum est 16. maius 12. dicimus igitur 12. abundantem esse numerum 10. diminutum 6. perfectum & ita in reliquis.
- 4 Diuiditur autem omnis numerus in parem ac imparem, porro proprietas numeri paris est vt semper in similia diuidatur, imparis vt in dissimilia: nam 8. si diuides utraque portio necessaria aut par erit aut impar 9. autem cum diuidis unam partem habes parem, aliam imparem, hoc autem vniuersis semper conuenit: non enim unquam imparem aut in duos diuides parres, aut impares: aut parem in parem & imparum.
- 5 Pars autem species tres sunt de quibus Euclides dixit pariter par, pariter impar,

& impariter par: dicitur autem pariter par numerus qui per continuam sectionem æqualem ad unitatem venire potest vt 16. in 8. & post in 4. ac in 2. & 1. per continuam diuisionem deuenit, pariter impar est cum numerus solùm semel admittit diuisionem veluti 2. 6. 10. 14. 18. & similes: impariter par qui plures admittit diuisiones non tamen usque ad unitatem patitur se dimidiari, veluti 12. & 20. nam cum ex 20. ad 5. peruenieris, non amplius diuisionem per æqualia admittit. Vnde patet utrumque aliorum generum impariter parem numerum esse participem, vide licet pariter paris, & pariter esset imparis.

Sunt & imparium quidam primi qui sola unitate numerantur, vt 3. 5. 7. 11. Quidam compositi qui numero aliquo numerantur vt 9. 15. & alij, est autem commune imparibus vt metiantur alios tantum à se distantes quantum ipsi ab unitate usque in infinitum. Exemplum 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 15. 17. 19. 21. 23. 25. 27. 29. 31. 33. 35. 37. 39. igitur 3. distat ab unitate per 2. numerabit igitur duobus intermissis 9. & iterum duobus 15. ac sic in infinitum: & ita 5. distat ab unitate per 4. numerabit 4. intermissis 15. ac iterum aliis 4. imparibus intermissis 25. & sic in infinitum & ita de aliis.

Est autem proprium quoddam numeris primis vt vel in se ducti vel in alios primos, non reddant numerum aliis præterquam componentibus compositum, veluti 5. in se facit 25. hic ab alio quam à 5. numerari non potest.

Sunt & numeri compositi qui tamen ad inuicem sunt primi veluti 10. & 9. sunt compositi, nam 2. & 5. numerant 10. & 3. numerant 9. quia tamen nullus numerus est communis numerator dicuntur inuicem primi: qui autem communi numero numerantur sunt compositi veluti 5. & 20. numerantur communiter ab uno numero qui est 5. ex prima autem septimi Euclidis liquet omnes numeros qui unitate tantum differunt esse contra se primos: aut etiam si alio numero primi differenti qui ambos non numeret. Exemplum primi 39. & 40. sunt contra se primi necessariò: & similiter 32. & 39. quare &c.

In omni superparticulari proportione termini toti sunt in ordine suæ proportionis: quotus est numerus differentiæ maioris ad minorem. Exemplum 40. ad 30. est sexquiteria differentia est 10. igitur sunt decimi in tali proportione & 9. alij sunt ante eos vt 4. & 3. ac 8. & 6. & 12. & 9. & ita de reliquis usque ad 40.

Omnis proportio inter tres terminos constituta ad proportionem minorem sensim reducitur donec ad æqualitatem perueniat hoc modo: deducas minorem terminum ex medio: ac duplum residui cum minore termino ex maiore: & hoc residuum cum primo residuo & minore termino sunt etiam proportionalia. Exemplum vt 128. 32. 8. deduco 8. de 32. fit 24. pro secundo termino: duplo 24. fit 48. addo 8. fit 56. deduco ex 128. remanent 72. igitur cum 8. 32. 128. essent in quadrupla proportione erunt 8. 24. & 72. in tripla eodem modo reducetur